



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

Svmmarivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

po, altera clericis, tertia fabrica eccle-
 sia, quarta pauperibus, ut cap. quatuor,
 cum alijs supra citatis, & clerici palam
 ex permissione Ecclesie, propria, & ec-
 clesiastica bona habere coeperant, cap. 1,
 & 2, extra, de testament. etiam, quod
 clerici habeant bona propria, & eccl-
 siastica, quae principaliter pro ministro-
 rum ecclesiasticorum alimonia fuerant
 deputata; at licet clerici bona patrimon-
 nialia habeant, possunt nihilominus de
 bonis Ecclesie vivere, non tanquam in-
 digentes, sed uti seruitutes, quia nemo
 cogitur militare stipendiis suis, & os
 bovi trituranti non est ligandum, capit.

final. ante med. 13. quest. 1. cap. extirpan-
 da, vers. cum igitur, de praben. cap. final.
 de magistr. & secundum temporum di-
 versitatem jura varie processerunt, gloss.
 in sum. in ver. clericos, 12, quest. 1. & Abb.
 in d. quest. 4. circa fin.

34 † Et beneficiarii impensis necessariis
 pro sustentatione deductis, ad ecclesias,
 & alia aedificia, & tecta restauranda de
 iis, quae supersunt, tenentur, cap. 1, & cap.
 de iis, de eccles. aedific. tamen de superflu-
 is redditibus suorum patrimonialium
 compelli non possunt. Navar. d. quest. 1.
 monit. 50, num. 9.

DE IMMUNITATE ECCLESIARVM.

Cap. XIII.

SUMMARIVM.

- 1 Ecclesia sunt domus orationis, exclusis clamoribus, seditionibus, consilijs publicis, parliamentis, & alijs negotiationibus.
- 2 Cæmeteria, & Ecclesia eadem immunitate gaudent.
- 3 Porticus item, & Ecclesiarum atria.
- 4 Ecclesijs matricibus quadraginta, minoribus vero ecclesijs triginta passuum circumcirca immunitas est concessa. Passus, & pedis mensura, quomodo intelligatur, ibidem.
- 5 Sacrilegium committitur ob violationem immunitatis ecclesiarum.
- 6 Capella existentes intra muros Castello-
 rum, parochiales, aliæ Ecclesie, quae gaudeant immunitate.
- 7 Ecclesia etiam non consecrata, in qua divina officia celebrantur, vel Episcopus crucem posuit, eadem immunitate gaudet.
- 8 Hospitalia item, & seminaria, & alia domus piæ.
- 9 Cause sanguinis in ecclesia, vel cæmeterijs agitari non debent.
- 10 Processus factus per judicem secularem in ecclesia, & cæmeterio est ipso jure nullus.
- 11 Abstrahens quem de ecclesia, vel atrio ecclesia, vel de porticibus ipsius, quam
 pœnam

- pœnam incurrat, & num. 13.
- 12 Adhærens ecclesia, vel ejus porticibus, gaudet privilegio immunitatis.
- 13 Fugiens ad ecclesiam, si fuerit inde violenter extractus, debet restitui.
- 14 Palatium Episcopi gaudet immunitate ecclesiastica, etiamsi sit extra circuitum Ecclesie.
- 15 Gregorius XIV. super abducendis, vel extrahendis delinquentibus ab Ecclesia indulta alias concessa reduxit, & moderatus fuit.
- 16 Casus quibus immunitas Ecclesiarum delinquentibus non prodest, & num. 24.
- 17 Extrahi ab Ecclesia, etiam exempta, nullus delinquens debet in casibus permisis, nisi de licentia expressa Episcopi, vel ejus Officialis.
- 18 Extracti ab Ecclesia in casibus permisis debent detineri in carceribus Ecclesie, quousque Episcopus cognoverit de delicto delinquentis.
- 19 Hæresis crimen non potest per judicem secularem cognosci, sed ad ecclesiasticum ejus cognitio spectat.
- 20 Contravenientes dispositioni dictæ Bullæ Gregorij XIV. quam pœnam incurrant.
- 21 Clausula in Brevibus, aut Bullis, quorum tenores, &c. operatur, ut totus tenor contrariarum habeatur pro expresso.
- 22 Delinquentes in Ecclesia, vel cœmeteriis sub spe immunitatis, immunitate non gaudent.
- 23 Laicus delinquens in Ecclesia, an debeat puniri per judicem laicum, vel ecclesiasticum.
- 24 Crimen punitum in foro saculari, an possit puniri in foro ecclesiastico, si crimen sit misti fori.
- 25 Mulieres, que præ verecundia, aut alijs de causis partum exponunt, vel alio modo occidunt, si detecto flagitio in Ecclesia se recipiant, an gaudeant immunitate.
- 26 Proditor quis dicatur.
- 26 Assassini, qui dicantur.
- 28 Clausula sublata, tollit facultatem alteri judicandi.
- 29 Excommunicati gaudent etiam immunitate ecclesiarum.
- 30 Judæus confugiens ad Ecclesiam, an gaudeat immunitate.
- 31 Infideles neque eadem immunitate gaudent, & num. seq.
- 32 Judæi non sunt cogendi ad fidem, possunt tamen cogi ut admittant prædicatores Evangelij, & quid, si eos admittere nolint.
- 33 Executio qualiter fieri debet in captura illius, qui ad Ecclesiam confugit.
- 34 Cingari an gaudeant immunitate ecclesiastica.
- 35 Gentiles ob templorum violationem gravia flagella sustinuerunt.
- 36 Nabuchodonosor Rex Babylonis ob templi depraedationem gravia flagella passus fuit.
- 37 Balthasar Rex ob profanationem vasorum templi fuit miserimè occisus.
- 38 Heliodorus, qui conatus fuit ararium templi pecuniam spoliare, graves pœnas sustinuit.
- 39 Leo Imperator & Antiochus Rex, ob templorum violationem miserimè moriuntur.
- 40 Bonifacius dux exercitus, qui ab Ecclesia delinquentem extrahi jusserat, graviter fuit reprehensus.
- 41 Bonifacius in Ecclesia captum libertate donavit.

donavit, & ipsum valde penituit.

42 Honorius Imperator, ne quis ab Ecclesia extrahatur, lege prohibet singulari.

43 Theodosius Imperator Ecclesiam maximam cum reverentia, & humilitate ingrediebatur,

Pluribus quoque immunitibus ꝑ gaudent Ecclesiam, etenim novem privilegia, & libertates, quibus ecclesia gaudere debet, ponit Remig. de Conn. in tract. de immunitat. eccles. lib. 1. sub nu. 16: de quibus, post tractata de privilegiis, & bonis clericorum, consequens est, ut à nobis agatur. Decet domum Domini sanctitudo: decet, ut cujus in pace factus est locus, ejus cultus sit cum debita veneratione pacificus; sic itaque ad ecclesias humilis, & devotus ingressus, sit in eis quieta conversatio, Deo grata, inspicientibus placita, quæ considerantes non solum instruat, sed & reficiat convenientes. Ibidem nomē illud, quod est super omne nomen, à quo aliud sub cælo non est datum hominibus, in quo salvos fieri credentes oporteat, nomen, videlicet Jesu Christi, qui salvum faciet populum suum à peccatis eorum, exhibitione reverentiæ specialis attollant, & quod generaliter scribitur, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, singuli singulariter in se ipsos implentes præcipue, dum aguntur Missarum sacra mysteria, gloriosum illud nomen, quandocumque recolitur, flectant genua cordis sui, quod vel capitis inclinatione testentur, attendatur in locis eisdem: intentis præcordiis sacra solemnia, devotis orationibus insistatur, nullus in locis eisdem, in quibus cum pace, ac quiete vota convenit celebrari, seditionem excitet, conclamationem moveat, impetumve committat. Cessent in locis illis universitatum, & societatum quarumlibet concilia,

cantiones, & publica parlamenta, cessent vana, & multò fortius scæda, & profana colloquia: cessent confabulationes quælibet: sint postremò quæcunque alia, quæ divinum possunt turbare officium, aut oculos divinæ majestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea, ne, ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendatur, peccata committi: cessent in ecclesiis, earumque cæmeteriis negotiationes, ac præcipue mundinarum, & fori cujuscunque tumultus, omnis in ois sæcularium judiciorum strepitus conquiescat, nulla ibi causa per laicos criminalis maxime agitur, sint loca eadem à laicorum cognitionibus aliena, ut statuit Gregorius X. in gener. Conc. Lugdunens. cap. decet domum, de immunit. eccles. in 6. Eademque ꝑ immunitate gaudent cæmeteria cum Ecclesiis, cap. cum Ecclesia, & ibi gloss. in verb. cæmeteriis, de immunit. eccles. gloss. in cap. consulisti, in ver. cæmeteria, de consecrat. eccles. vel alt. cap. si quis contumax, cum seq. 17, quest. 4. & Abb. in d. cap. cum eccl. num. 2. quæ immunitas, ne rei criminis ad ecclesiam confugientes inde extrahantur, jure pariter divino, & humano est introducta, ut censuit Concilium Colonien. par. 9, cap. 20. quod citat, ac pluribus autoritatibus comprobatur, & sequitur Bellarmin. de exempt. clero. cap. 1, §. secundo probatur.

3 Nec solum cæmeteria ꝑ cum Ecclesiis gaudent immunitate, sed etiam atria, & porticus ecclesiarum, cap. si quis contumax,